

Xa  
3152





N. 62, 49

Xa  
3152

GRATAE MENTIS  
**MONIMENTVM**

IN AVLA SAXONICA

MERSBURGENSI

TAM BEATIS MANIBVS

PRINCIPIS OPTIMI MERITISSIMIQVE

**CHRISTIANI I.**

DVCIS SAX. ET CETERAR. GENT.

ET ADMINISTR. EPISC.

MERSBURG.

*LAVDATIONE FVNEBRI;*

QVAM

SERENISS. FILIO SVCCessori

**CHRISTIANO II.**

DVCI ITIDEM SAXONICAE

GENTIS ET ALIARVM, POSTVL.

ADMINISTR. EPISCOP. MERSBURG.

ETC.

*EPISTOLA EVCHARISTICA*

DEVOTE POSITVM

A

**CHRISTOPHORO CELLARIO,**

ELOQ. ET HIST. IN ACAD. HAL. P.P.

5



GRATIA MENTIS  
MONIMEN TVM  
IN AVLA SAXONICA  
MERSERV GENSI  
TAM BEATIS MANIBUS  
FRANCIS OPTIMI MENTIS  
CHRISTIANI  
DUCIS SAX ET CETERARUM  
ET ADMINISTR. HISS  
LANDTIORE FNRBRIS  
SERVUS FID. SUCCESSORI  
CHRISTIANI

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)



REVERENDISSIME ET SERENISSIME  
PRINCEPS AC DOMINE  
DOMINE

CHRISTIANE II.  
SAX. IVL. CLIV. MONT. ANG. ET  
VVESTPH. DVX. POSTVLATE ADMINI-  
STRATOR EPISC. MERSBURGENSIS, LANDGRAVIE  
THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE ET LVSATIARVM,  
PRINCEPS HENNEBERGIAE, COMES MARCAE ET  
RAVENSBERGAE, DYNASTA RAVENSTEINI,  
ETC.

DOMINE CLEMENTISSIME,

**S**Extus iam annus circuma-  
ctus est, quum gloriosi PARENTIS TVI  
auctoritate ad dirigendum Gymnasium Vestrum  
ex Cizensi, cui praefueram, benignissime  
aduocarer. Ex eo tempore multa & ampla  
sane beneficia exstiterunt, quae sanctae memoriae  
PARENS TVVS in me clementissima voluntate  
contulit. Non solum enim insigniter maiori, quam  
antecessores meos, salario donavit: verum etiam,  
quum nono post mense aliorum euocarer, non le-

) ( 2

ven

vem ei, quod auctius habebam, accessionem fieri,  
munifica liberalitate curavit; etiam auctoritate sua  
perfecit, vt desinerent sollicitare, qui solenni ritu &  
multis pollicitationibus me auertere instituerant.  
Lubens parui, & Vester esse firmo ita consilio decre-  
vi, vt contentus sorte mea, eaque satis benigna, ni-  
hil noui cogitarem, sed quo Vestrae Musae meis stu-  
diis ornarentur, vnice mihi propositum delibera-  
tumque haberem. Neque animum mutavi, quum  
optimus PRINCEPS & indulgentissimus DOMI-  
NVS meus, exuta mortalitate, ad Superos excessis-  
set, quia, quae Illius erga me voluntas fuerat, in  
TVA clementia superesse atque vigere, ne mini-  
mum quidem erat quod dubitarem. Sic deuote  
TIBI addictus & sacro clientelae adstrictus vinculo,  
non piger nec inuitus istud munus obibam, quod  
diuinis auspiciis & PATRIS atque TVA voluntate  
impositum mihi gratulabundus intelligebam. Sed  
fato res cunctas mortalium, hoc est diuina volun-  
tate regi, nunquam clarioribus signis, quam quum  
sedes denuo mutanda esset, nunc nuper experiebar.  
Quod enim nunquam in mentem venerat, quod  
Patroni abnuebant, quod ipse, PRINCEPS CLE-  
MENTISSIME, a cuius nutu pendebam, non ob-  
scuris significationibus nolebas; id euenire necesse  
fuit, omnibus causis, quae latebant ante, ita occul-  
te inter se connexis, vt aliter fieri, quanquam praer-  
ter opinionem nostram, haudquaquam potuisse,  
fata-

fatali euentu nunc manifestum fit. Nihil enim il-  
lorum celauit, quæ in hac causa mecum acta & i-  
dentidem oblata fuerunt; etiam singulas litteras,  
quas accepi, cum iis communicabam, quos, sum-  
mos viros, participes consiliorum habes, vt ex iis  
consulerent, quæ publicæ rei, quæ mihi etiam com-  
modissima forent. Quamdiu potui, cunctando rem  
differebam, vt vel mora veritatem diuinæ volunta-  
tis explorarem. Bene fuit, & diuina signa addixe-  
runt, vt non obscure intelligerem, Dei prouidenti-  
am esse, quæ de statione me in aliam euocaret, quia  
dum res integra erat, & voluntas mea suspensa aut  
verius submissa diuinæ, nihil interuenit, quod rem  
mihi nec speratam neque expectatam vel leuiter  
impediret. Parebam igitur trahenti fato, & nefas es-  
se existimabam, diutius in re cunctari, cuius tot præ-  
claræ significationes & indubitata auspicia exsta-  
rent. Vnum superesse scio, quod in admirationem  
forfan rapit; a me neglecta & posthabita fuisse,  
quæ antiqui moris sunt, & alibi etiam mihi, quum  
discedendum esset, rite ac religiose vsurpata. TE  
vero, CLEMENTISSIME PRINCEPS, nullam ad-  
mirationem subire, nec consiliorum Administros  
Tuos, exinde sum persuasissimus, quod non igno-  
tum Vobis erat, paratum me semper extitisse, vt per-  
agerem quæ restabant; tum ea necessitate impedi-  
tum, quam declinare supra meam sortem condi-  
tionemque fuit: neque, quum III. idus Octob. eo

consilio reuertissem, vt omnibus Valere dicerem; per fatorum legem id fieri licebat. Exspectabas, DOMINE, litteras, quibus sero tandem adlatis, Ipse clementissime censebas, superuacaneum deinceps esse, vt solenne officium peragerem, postquam agendi tempus fatali necessitate surreptum mihi fuerat. Sic quoque obsequutus sum voluntati TVAE; a me autem non potui impetrare, vt officio deessem, qui me semper ita adsuefeci, vt ne vnquam inofficiosus aut ingratus etiam viderer. Quod solenni ritu peragere non licuit; hac charta quodam modo peregisse mihi satis sit, vt SERENITATI TVAE immortales gratias agam, tot annos clementia TVA vsus; praesidio etiam & ceteris benefactis, postquam maiorem benemerendi facultatem excessus PARENTIS TIBI reliquerat. Sed hoc etiam sero nimis perfecisse, fortasse videbor multis, qui consilii mei rationes nondum cognitae perspectasque habent. Serum, quod nunc facio, officium esse fateor; non autem negligentia, sed vt dicam quod res est, religione in hoc tempus, quo exsequor, dilatatum. Maiorum pia laudandaque consuetudine traditum receptumque olim fuit, vt quorum beneficiis ornati fuerant, si fato illi decessissent, anniuersariis sacris memoriam istorum ad tumulum celebrarent. Quum ergo non minus, quam TIBI, beatissimo PARENTI debeam; anniuersarium tempus exspectaui, quo tanti PRINCIPIS exuias ex oculis subduci & in cryptam suam deuol-



deuolui mœstissimi omnes & lacrymabundi con-  
tuebamur. Quem diem quum temporum ordo  
vicissitudine reducat; non alienum a pietate cre-  
do esse, si memoriam meritisimi DVCCIS, vt decet,  
renouemus, & quem voce ante biennium laudavi,  
litteris nunc publicis in plurimum conspectu, quam  
audiebant me, efferam. Nihil muto in vili oratione,  
quia superstites estis (velim, diutissime!) qui tum  
me audiebatis PRINCIPES: & in multorum ani-  
mis hærent, quæ & breuiter dixi, quia ex memoria;  
& incomposite, quia luctus & mœstitia ornatum re-  
spuebant. Eisdem itaque verbis, quibus memoriter  
recitabam, laudationem funebrem in lucem exire  
sino, quod religio mihi erat vel verbo ab illis seces-  
sisse, quæ tum pietas in meritisimum PRINCIPEM,  
& luctuosi temporis ratio atque dolor exprimebāt.  
Maior nunc Ille, & clariori luce circumfusus est,  
quam vt dicendi arte felicitati Eius accedere quid-  
quam possit: & vtique fecisse, quod debeo, mihi vi-  
deor, quamuis non exsoluisse; si ex amplissimis me-  
ritis quantum mente & ingenio capiebam, simplici  
narratione, sine apparatu, recensuero. TIBI vero,  
SERENISSIME PRINCEPS, quibus verbis grati-  
as agam, quo voto & cultu Vale dicam, non equi-  
dem reperio. Noluisti a Musis me Tuis auocari, &  
quum fata fortiora essent, quæ me extrahebant, cle-  
mentissime adnuisti, nec absenti pateris clementiæ  
Tuæ signa ignorari. Deus TE seruet, SACRVM CA-  
PVT, vt Tuam mihi benignitatem conserues.

Deus

Deus TE TVOSQVE seruet, & quæ vota sunt  
Principum, abundantissime largiatur, vt cum flo-  
rente FAMILIA, felici imperio & pacato rei publi-  
cæ statu longæui Parentis ætatem inter præclara  
facinora atque merita exæques, vel etiam, quod  
optant mecum omnes Tui, aliquando exsuperes,  
serisque Nepotibus, ad auitæ felicitatis maturita-  
tem eductis, diutissime læteris. Bene sit etiam  
Tuis, quas reliqui, Musis, earumque Patronis, &  
omnibus qui cura, consiliis, labore illis non defue-  
runt, quorum non minus, quam Musarum, mihi  
grata semper & iucunda memoria est. TIBI ve-  
ro ita obstrictus sum beneficiorum magnitudine,  
vt æternum me debitorem æstimatoremque pro-  
fitear, non vnquam commissurus, vt precandæ  
a Deo incolumitatis Tuæ officium in me deside-  
retur. Vale Princeps optime; ac feliciter

age. Halæ III idus Februarii

1610. c. l. c. xciij.

ORATIO

ORATIO  
AETERNAE MEMORIAE  
PRINCIPIS GLORIOSI ET NATV OLIM  
IN GERMANIA MAXIMI

CHRISTIANI I.  
DVCIS SAX. IVL. CLIV. MONT.  
ANGR. ET VVESTPHALIAE, POSTVL.  
ADMINISTRATORIS EPISC. MERSBURG.  
LANDGRAVII THVRING. MARCHIONIS MISNIAE  
ET LVSATIARVM, PRINCIPIS HENNEBERGIAE, COMITIS  
MARCAE AC RAVENSBERG. DYNASTAE RAVENSTEINI  
ETC.

*PATRIAE QVONDAM PATRIS  
OPTIMI INDVLGENTISSIMI  
SACRA*

6

REVERENDISSIME, SERENISSIMI PRINCIPES,  
DOMINI CLEMENTISSIMI,

CETERIQUE SPENDIDISSIMI  
AUDITORES,

**T**a ergo & huius diei lu-  
tuosissimo officio probandum erat,  
quod mors inuoluat humile pariter & cel-  
sum caput, & quæ summa sunt & illustria, cum in-  
fimo quoque & abiectissimo exæquet. Frequens  
nimis in Saxonum gente lugentium squalor, nec  
cum annis amplius illustrium funera computamus;  
crebriora sunt, & sæpius iniri numerum suum po-  
stulant. Non huius temporis, neque nostri insti-  
tuti est paullo longius repetere, quos funestos casus  
intra decem annos serenissima Domus habuerit:  
vix sextus & decimus mensis agitur, quum ex hoc  
iplo loco fortissimo Heroi, Vestro, Serenissimi  
Prin-

Principes, FRATRI aut GENERO, pro patriæ libertate in acie peremto, supremum officium persoluimus : semestre autem tantum tempus est, quum Caput celsissimæ huius Gentis, potentissimus SAXONIAE ELECTOR exemplo suo confirmaret, quam nihil stabile in rebus humanis sit, quarum fragilitatem æque summi Principes, ac vilissimæ fortis homines fatorum necessitate experiantur. Qui vero nunc nos casus oppresit, funestissimus acerbissimusque nostræ patriæ est, quæ suum illo Parentem indulgentissimum amisit, Defensorem ac Nutricium amisit, & vt paucis multa comprehendam, eum in CHRISTIANO I. amisit, cui post Deum omnia sua accepta referebat. Vixit enim, heu! vixit & inter homines esse desiit reuerendissimus quondam & serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus CHRISTIANVS I. Saxoniae, Iuliae, Cliuiae & Montium, etiam Angriae & Westphaliae Dux, postulatus huius episcopatus Administrator, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae & Lusatiae vtriusque, Princeps Hennebergiae, Comes Marcae & Rauensbergae, Dynasta Rauensteinii, Dominus, heu olim! noster & Pater & Nutricius indulgentissimus, clementissimus, cuius quo plura in nos omnes merita semper fuerunt, hoc maius bonitatis suae desiderium

reliquit. Cœli quidem munus ingens est, & singularis beneficii loco reponendum, quod præclaro **PRINCIP E** tam diu vtilicuit, eiusque ætas eo diuinitus perducta fuit, quo prouehi potest, quod summum est mortalitatis. Si quis vero existimat, non posse grauem eiusmodi casum esse, qui dudum ex ætate præuisus sit, nec per naturam differri facile potuerit; næ is non sentit, quod res est, Auditores. Nam tantum abest, vt bonum, quod ereptum fuit, eo minus desideretur, quo apud nos diutius existit, vt desiderium magis augeatur, quum longus vsus bonitatis consuetudinem inducat, quæ ægre mitigari potest, extinguui & deleri nunquam. Nec præuidisse malum ad patientiam illius satis præsidium habet, quum ita præsentatur, vt plerumque spes timorem superet, illa præsertim, quam non infelix adhuc cursus temporum confirmauit. Vos alloquor, Auditores optimi, quibus nec ætas beatissimi **PRINCIPIS**, nec quod natura fert & mortalitas, ignotum fuit; num quisquam vestrum sine dolore, sine mentis perturbatione percepit, quum tristis rumor excessum Illius per aulam, per urbem disseminaret? Hoc vero vt bonitatis argumentum est, ab eo diutius expectandæ, quem amisimus: ita singulos nos officio-

ciorum lege ad gratum animum & sempiternam  
memoriam obstringit, vt quantum præstare mor-  
tales illi possunt, qui mortalitatem exiit; nos quo-  
que perpetuo præstemus, perpetuo merita in nos  
collata prædicemus. Laudis enim officium vni-  
ce superest, quod defunctis vita, possimus exhi-  
bere, quia si quid aliud etiam liceret, ei finem su-  
um sepultura attulit. Quare quum quisque ad-  
huc fecerit, quod sui muneris erat in laudando me-  
ritissimo PATRIAE PARENTE; Musæ quoque  
nostræ, officii sui ne oblitæ videantur, cum aliis so-  
cietatibus certantes, quanti optimum PRINCI-  
PEM & fecerint, & semper faciant, publico mo-  
nimento gestiunt declarare. Quas quum mihi  
partes iniunctas esse videam, nihil est quod verius  
mihi timendum sit, quam vt vobis, Auditores, sa-  
tis faciam, qui nihil putatis adferri in hunc locum  
oportere, nisi quod ingenio excogitatum, indu-  
stria elaboratum, & artis lima accurate perpolitum  
sit, qualem orationem si expectari a me posse cre-  
derem, non solum me ipse ignorarem, sed vestræ et-  
iam doctrinæ ac iudicio diffusus esse existimari pos-  
sem. Hoc, inquam, est, quod in præsentia vereor.

B 3

Nam

Nam res dicendas me verbis exæquare posse, adeo despero, vt ne summum quidem oratorem illis sufficere persuasum mihi habeam. Restat ergo, vt ad vestram confugiam, SERENISSIMI PRINCIPES, clementiam, subiectissime rogitans, vt si diuina illius virtute, de quo dicendum mihi est, indigna, prout fateor, dixero, celsitudinem eius cogitetis, quem adsequi ingenio non possum, ne dicam verbis illustrare. Neque illum infantia mea profanare ausus essem, nisi subiectissimi obsequii partem hoc nouissimum officium statuissem. In vestra igitur indulgentia, o PRINCIPES, confido vnice; nec minus, Auditores ceteri, futurum spero, vt cum propter eandem causam, quæ rerum magnitudo est; tum propter pristinam beneuolentiam vestram benigne interpretemini, quæ orationi meæ deesse pro summa vestra eruditione observabitis.

Maiorum more ita traditum fuit & scholarum etiam præceptis constitutum, vt principes viros laudaturi a genere & natalibus auspiciam faciant, quam consuetudinem si sequuturus sim, campum ingrediar non vna mihi die. emetiendum. Quis enim ignorat, quantos Heroas noster CHRISTIANVS in maioribus suis numeret? quam antiqua nobilitate ab vtroque sexu Progenitorum

rum



rum fulgeat? Ambrosius Mediolanensis episcopus,  
Theodosium, Romanum Imperatorem, post fata  
breui, at conveniente verbo laudaturus, AV-  
GVSTAE MEMORIAE PRINCIPEM appellat.  
Ego vero NOSTRVM non modo memoriae  
augustae, vti omnino est, sed augustae etiam origi-  
nis Principem iure suo appellandum existimo. Ni-  
hil dico de antiquissimis illorum, quos reges fuisse  
ex historiarum monumentis cognoscimus: sed si  
vel solos IOANNEM GEORGIVM Pa-  
trem, CHRISTIANVM Auum, AVGV-  
STVM Proavum cum Fratre MAVRICIO: &  
horum Genitores ALBERTVM atque HEN-  
RICVM intueor, & virtutem illorum cum rebus  
gestis apud animum propono; venit mihi in men-  
tem illius Cineae, quem Epirensis Pyrrhus Romam  
miserat, vt Senatam sibi in pacis caussa conciliaret.  
Pyrrho enim quaerenti, qualem Romam inuenis-  
set, Regum, respondit, se patriam vidisse, in qua  
omnes fere tales sint, qualis vnus rex Pyrrhus apud  
Epirum & reliquam Graeciam putaretur. Si mi-  
hi maiores etiam proximos beati PRINCIPIS nostri  
intuenti, non aliam, quam Regum familiam, vi-  
dere videor, quorum quisque tantus apud suos  
fuit, quantus Rex in regno suo existimari potest;  
quis-

quisque etiam virtute & auctoritate consequutus  
erat, ut, sicut Florus de Fabiis censet, in Veientes  
vna die profectis, singulos magni exercitus potuis-  
se duces esse: ita ego de Maioribus **NOSTRI**  
existimo, vnumquemque illorum Regem ingen-  
tis populi esse suo merito potuisse. Nec alter se-  
xus, ex quo **NOSTER** prognatus est, minori di-  
gnitate fuit. Quis enim tam ignarus est omnium  
rerum, ut nesciat, **BRANDENBURGICAM**  
**GENTEM** eo loco & numero hodieque esse, ut  
cum potentissimis maximisque Regibus tam o-  
pum magnitudine, quam rerum gestarum gloria  
certare possit, de qua me nihil, quam pauca, præ-  
stat dicere, nisi me aliquid dixisse, Auditores, pu-  
tabitis, si quidquid de ea dicendum esset, id sum-  
mum omne ac regium esse dixero. Tam nobiles  
illustris sanguinis fontes ab **IOANNE GEOR-**  
**GIO** Magno & **MAGDALENA SIBYLLA**  
Brandenburgica, ad exemplum virtutis nata femi-  
na, in vnum corruuati, quid proferre aliud potue-  
re, quam quod magnum, sublime, eximium es-  
set? Vnde facile de ingenio **NOSTRI** iudicare  
licet, quod nihil vulgare, nihil humile atque obui-  
um sapiebat, sed quod magnum, excelsum, atque  
tantis dignum Progenitoribus erat. Creuit virtu-  
tis atque gloriæ cupido, postquam paternis curis  
atque

atque auspiciis recta educatio, & quasi ad summa  
quæque adductio accessit, qua effectum in primis  
fuit, ut rectus de Deo sensus, & verus pietatis ho-  
nestique amor tenellæ menti infereretur, in qua eas  
etiam radices egit, ut per omnem ætatem fructus  
suavisimos, eosque numerosissimos ediderit.  
Quanta enim in Deum pietate noster beatissimus  
P R I N C E P S, quo in res sacras ardore, & in o-  
mnes virtutes studio fuerit, infinitis documentis ad  
supremum usque diem, quem obiit, demonstrari  
posset, si quis tam sensu stupidus esset, ut per lau-  
datisimam vitam longæui P R I N C I P I S non a-  
nimaduertisset, quod Orbis prædicat & omnes ad  
cælum efferunt. Hi enim veri fructus bonæ edu-  
cationis sunt, qui nunquam marcescunt, nun-  
quam cariem sentiunt, sed per omnem se ætatem  
commendant, atque exserunt ubique suauitatem  
suam & odorem spirant, nec ipsa morte corrumpi  
possunt, aut vi insita spoliari. Iam ea ætate N O-  
S T E R erat, qua Principes iuventutis, proban-  
dæ & firmandæ virtutis causa, in exteras regio-  
nes ablegantur, ut videant, qui sub alio cælo  
mores, quæ virtutes egregiæ sint, quo omnis ex-  
empli documenta in illustri posita contueantur,  
inde sibi suæque reipublicæ quod imitandum sit,  
capiant; etiam fœdum inceptu, fœdum exitu,  
C quod

quod fugiatur, sine damno suarum rerum in peregrino solo cognoscant. Hic verus discendæ prudentiæ modus est, quæ non vno innascitur loco, sed semina longe, late diffusa habet, quorum fructus qui cupit decerpere, hunc diuerlas regiones perlustrare oportet, & vbiq; inuestigare, quid vtile sibi & ad publicam priuatamque rem accommodatum sit. Ad hæc bona magnatum filii domesticis studiis præparantur, quibus **NOSTER** cum primis etiam exercitatus nec leuiter imbutus fuerat. Historia variarum gentium, mathemata selectiora, & linguæ Gallicæ vsus in his primas partes tenebant, vt istis animus ad ciuilem prudentiam; illis ad scientiam militarem fieret aptior; hac in sermone cum exteris, tanquam communissima lingua, vteretur, etiam legeret, quæ gens sollertissima de variis rebus ad rem publicam pertinentibus, perenni memoriæ & litterarum fidei mandauit. Quum vero **NOSTER** peregre exercendus erat, vtique periculosum videbatur, **PRINCIPEM IUVENTVTIS**, regundæ reipublicæ natum, in Galliam Italiamque iis temporibus mitti, quibus pro religione armis pugnatum fuerat. Qua ergo pietate ac prudentia cordatissimus **PATER** fuit; in eas tantum regiones suos excurrere consultum du-

duxit, quibus non modo condiscerent, quæ ex usu  
reipublicæ essent; verum etiam diuinæ scientiæ  
doctrinam magis magisque confirmarent. Dania  
dignissima visa, in qua tirocinium peregrinationis  
fieret, quod non tantum sacrorum societate Saxo-  
nibus coniunctissima est, sed Aulam quoque habet  
magnificam, etiam ita compositam atque institu-  
tam, ut virtutis exemplo tum omnibus sit, tum  
maxime iuuentutis **PRINCIPIBUS**. Hic  
**NOSTER** aliquamdiu versatus, etiam insulas  
adiacentes perlustravit, ut omnia virtutis vestigia  
quæ veteres Cimbri & Gothi reliquerunt, accura-  
tius peruestigaret, eorumque exemplo suam virtu-  
tem, quæ intra pectus gliscebatur, & aleret commo-  
de, & vehementius subinde materiæ nouitate in-  
flammaret. Intratæ etiam sunt Belgicæ prouin-  
ciæ, vetus fortitudinis Germanorum theatrum, qui  
quamquam disiuncti flumine a Belgis erant, non  
tamen illo contineri potuerunt, quin Rhenum  
transgressi cum Romanis de sede primum, deinde  
etiam de imperio dimicarent. Maiores tum  
suos æmulati Batauiæ populi libertatem fortis-  
sime defendebant, Hispanorum oppida expu-  
gnantes, acie cum illis decertantes, ut patriam  
tuerentur, & communes res suas amplificarent.  
Cum quorum summo exercituum duce Henrico

Friderico Arausiensi **NOSTER** ita versatus in castris fuit, vt consuetudine eius & singulari exemplo ad res præclare gerendas quasi stimulo concitaretur. Erat enim illo tempore militiæ schola in Belgio, vnde magni quotidie duces ac tribuni, tanquam ex equo Troiano, prodibant, diuersarum nationum exercitus atque copias recturi. Etsi autem beatissimus noster **PRINCEPS**, quæ vidit ibi atque didicit, in vsum castrensem nunquam attulit, quod fata togæ illum, non armis destinauerant: tamen scientia rerum bellicarum eximio ornamento fuit, qua de maximis rebus peritissime semper iudicauit. Sic optimis præceptis institutus, sic exemplis laudatissimis confirmatus, sapientissimo **PATRI** dignus visus fuit, qui rebus admo- veretur, cuius auspiciis ab huius Mersburgensis Episcopatus venerando Collegio ad administrationem certo modo postulatus, & post triennium defuncto **PARENTE**, plenius confirmatus fuit, quando Lusatia quoque & Misnicæ præfecturæ hereditatis sorte accesserunt. Tum campum ingressus est amplissimum, in quo virtutes suas exerceret, sed primam omnium, vt est, pietatem habuit & curam religionis, qua nihil ei antiquius fuit, nihil vnquam commendatius. Quam sancte, quam prouide instituit omnia, quæ auitis  
sacris

facris perpetuitatem ferrent? quanta benignitate  
seminaria fouit, non ignorans pro sapientia sua, his  
saluis & saluam religionem esse: neglectis illis, hanc  
ipsam quoque desereri & pedetentim deprauari. Et  
quum Principis vita censura sit perpetua, qua mo-  
res ceterorum corriguntur; noster Princeps non  
imperio solo, sed etiam exemplo suos docuit, quid  
in diuinis officiis agere deceat, & qua constantia in  
illis perseuerare. Quando is non primus publicis  
facris interfuit, nec solennioribus modo, verum  
etiam quotidianis precibus? quando exiit, nisi ad  
finem perductis omnibus? quam cupide, quam  
attente auscultabat, quam legebat deuote? Sic fa-  
ciendo assidue docebat, quod ab aliis fieri vellet.  
Vtinam quam plurimos sectatores habuisset imita-  
toresque tam sinceræ pietatis! Ex qua nobiliori ra-  
dice amoenissimas virtutes enasci & fructus profer-  
re vidimus. Iustitia in illis præcipua fuit, dein  
constantia & beneficentia. Antiquis moribus  
**NOSTER** erat, tanquam ex aureo genere reli-  
ctus, qui iustum & æquum vbique persequutus,  
nihil grauius ferebat, quam litium superuacaneam  
procrastinationem, suis semper imperans, vt illas,  
qua fieri breuitate posset, secundum leges iudica-  
rent. Si quid verum iustumque esse cognouerat,  
in eo constantissimus perseuerabat, vt citius Cato-

C 3

nem

nem de sententia , quam CHRISTIANVM  
nostrum de iusto & æquo deduci vidissetis. Ea-  
dem mentis firmitate , instar immobilis saxi , in ad-  
versis rebus se præbebat , vt nihil fortunæ cederet ,  
semper idem maneret , & quem nulla prosperitas  
elatiorem fecerat , nulla etiam calamitas frangeret.  
Vidimus nuper , vidimus grauissimum casum , FI-  
LII obsequentissimi necem non æquo tantum , sed  
forti etiam animo perferre , vt quod aliis impatien-  
tiæ , huic fortitudinis ostentandæ argumentum es-  
set , atque plus solatii ex virtute FILII atque glo-  
ria caperet , quam doloris ex immatura morte. Sed  
gloriosa tanti Pignoris memoria ad augustum ma-  
trimonium , vnde illud ortum erat , me tempestiue  
reuocat. Quid auspiciatius fieri , quid amabilius  
coniungi potuisset , quam PAR hoc serenissimum ,  
noster CHRISTIANVS Primus & celsissima  
CHRISTIANA , regio Holfatorum Ducum ge-  
nere oriunda ? Idem sensus , eadem voluntas , mu-  
tuus amor , perpetua concordia , & quod præcipu-  
um est , æqualitas virtutum effecerat , vt hoc con-  
iugium incomparabile esset , cuius simile perpaucis  
in Germania Principibus contigerat. Quid quæ-  
ritis ? Liuia augusta cum suo Augusto coniuncta  
videbatur , quæ nunc etiam Liuiæ animum in lu-  
ctu nobis repræsentat , viuitque memor coniugii  
Chri-



Christiani; vt, morientis mariti præcepto, illa Augustei. Deus Eam corroboret, & de constantia beati Mariti donet, vt quavis virtute fortunæ casus tulit, eodem illa animo luctum acerbissimum ferat, & Deo confisa suam diuinæ voluntati subiiciat, crebroque illud cogitet, quod qui tam graue onus imposuit, eius etiam ferundi velit consors esse atque particeps. Magnum quoque solatium foecunditatis est, qua **NOSTRORVM** coniugium felicius longe fuit, quam olim Augusteum. Vt Defunctos præteream, ne augeatur dolor; supersunt serenissimi **FILII**, celsissima **FILIA**, illustrissimi **NEPOTES**, quorum præsentia, quam Deus fortunet atque conseruet, **CHRISTIANVS** noster non mortuus, sed semper rediuiuus conspicitur. In primis **TVA SERENITAS**, reuerendissime & serenissime **CHRISTIANE SECVNDE**, signum nobis ad bene sperandum extollit, in posterum fore, vt **PATREM** gloriosissimum non amissum, sed in **TE** nobis redditum semper credamus, quam spem firmatiorem nobis efficies, si virtutem, ad quam natura tua propendes, quamque vltimam in beato **PARENTE** laudandam proposueramus, ex illius æmulatione semper persequeris. Beneficentiam puto, omnium virtutum vere principem, & Principibus etiam dignissimam, quos ideo Deus  
in

in tam excelso fastigio locauit, vt tanquam benignum sidus omnes radiis suis illustrent, omnibus benefaciant, neminem bonum iustaque petentem a se tristiozem dimittant. Hac virtute benefici Principes merentur, vt delictum humani generis, voluptas suorum ciuium, & post fatalem denique excessum, omnium bonorum desiderium dicantur; & sicut antea in laude omnium vixerunt, sic laus perpetua ipsos post funera quoque comitetur. Noster CHRISTIANVS Primus quam benignus in egentes, quam bonus, erga petentes fuerit, infinita hominum desideria videmus vndique testari: nec in singulos modo mitis ac munificus, sed in integras quoque societates, ciuitates, regiones fuit. Traianum ex eiusdem virtutis merito senatus Romanus OPTIMUM appellauit, ad nouum cognomen munificentia illa inductus, qua urbem, Italiam, prouincias vniuersas ornauit, quam Eutropius noster intuitus, ORBEM, inquit, TERRARVM AEDIFICAVIT. Testantur coloniae, pontes, aqueductus, stratae viae, arcus, porticus, columnae, & quae aliae ex Traiani aeuo reliquiae supersunt, quaedam integrae, plures in ruinis iacentes, & aegre ab iniuria se vindicantes temporum. Quod si vera Principis beneficentia est, vti est, regiones aedificiis ornare, pontes fluuiis ac paludibus imponere,

nerē, vias munire, vt ciues ac peregrini sine impe-  
dimento commearē, commerciis operam dare,  
aliisque insistere negotiis possint; quis quæso be-  
neficientior in publicam rem nostra ætate, quam  
beatissimns **CHRISTIANVS** Primus fuit,  
cuius tot monimenta bonitatis visuntur, quot fer-  
me pagi, quot oppida, & intermedia etiam loca,  
ipsius ditioni fuerunt subdita? Quid vero aliunde  
adlego testimonia, quum, vbi congregati sumus,  
hæc Musarum ædes documento sit illustrissimo?  
Certe, tacente me, parietes hi instauratori suo vt  
gratias agant, gestire videntur, cuius liberalitas nisi  
fuiisset, procul dubio in squalore adhuc ruinosi hæ-  
rerent, peregrinis & indigenis testimonium littera-  
rum non optime se habentium futuri, quemadmo-  
dum nunc argumentum sunt restitutarum. Ma-  
ior beati **PRINCIPIS** in Musas liberalitas fuit, quam  
vt breuiter possim enumerare: cui etiam aucta  
salaria, ego in primis, debemus, & grato ani-  
mo prædicamus, prædicaturique sumus perpe-  
tuo. Est vero etiam quod Tuæ liberalitati,  
**SUCCESSOR** serenissime, relictum a **PA-**  
**RENTE** fuit: est locus supra nos, qui **TV-**  
**VM** supplementum expectat, quem ab ipso  
D muni-

munifico PATRE suppletum vtique haberemus,  
nisi fato, nescio quo maligno, impeditus ille fuisset. Hoc opus, Principe dignum, cum vniuersa re litteraria nostra TIBI, CLEMENTISSIME DOMINE, spe plenus bonitatis Tuæ identidem commendo. Habes vestigia beatissimi PATRIS: habes exemplum gloriosissimi SOCERI, qui me custode talis thesauri, quod cum laude Eius recordor, aliquamdiu vsus fuit. Qui primus hanc ædem condidit, AVGVSTVS Elector, Abauus Tuus, cum Principum Aula coniunctissimam esse voluit, quod eo reor consilio factitasse, quo Augustus Cæsar palatio suo Apollinis templum & bibliothecam coniunxit Apollineam: aut quo Fuluius, Nobilior cognomine, Aetolorum victor, templum Herculi Musarum exstruxit, & diuersa alioqui numina, vno tecto comprehendit, quod Herculem Musas tueri deceat: has vicissim, Herculea facta suis litteris celebrare, quemadmodum nec Hercules, neque Achilles, aut quisquam clarorum Principum immortalis laude floreret, nisi eandem Musæ & conciliaffent illis, & etiamnum voce, scriptis conseruarent: idque eo largius, quo benignius ab Herculis istis, dum viuerent, fuerunt habitæ. Sed quo dilabor beatissimi Euergetæ munificentia abreptus!

ptus! ad exitum illius, tristissimum orationis mo-  
mentum, tandem mihi accedendum esse video.  
Noster CHRISTIANVS id felicitatis conse-  
quutus erat, vt SENIOR Imperii Romani esset,  
hoc est, omnium Principum ætate in Germania  
maximus. Vt vero Deo debetur productior vi-  
ta, ita neque, quibus illa rebus a Deo impetratur,  
est mihi prætereundum. Præcipuum heic locum te-  
net æquabilis alimentorum vsus siue frugalitas,  
quæ in Nostro plane eximia ac singularis erat, vt  
iis adquiesceret, quæ natura postulabat, superflua  
auerfaretur & euitaret. Hinc immunis fuit mor-  
borum, quos sibi luxuria inducunt alii: hinc fir-  
mum robur ad supremam senectutem retinebat,  
cui ex labore præsidium non vulgare nec mediocre  
accessisse constat. Plinius Vesprii Spurinnæ viva-  
citem laudat, cui post septimum & septuagesi-  
mum annum corpus agile ac aurium oculorum-  
que vigor integer fuerat: cuius hanc causam ad-  
fert, quod aliquo exercitationis modo quotidie  
cum senectute pugnauerit. Hinc depulsas, ait,  
debilitates, nutritas vires, & iuuenile robur in se-  
ram senectutem conseruatum esse. Quum ve-  
ro sint varii generis exercitationes; Principe haud  
dignior videtur vlla esse, quam venandi & feris in-

D 2

fidian-

diandi studium, quod crebrius **NOSTRO**  
repetitum, non parum momenti ad conseruandam  
tulit sine offensa senectutis valetudinem. Vt e-  
nim non dicam, quantum commodi reipublicæ  
submota campis irruptio ferarum præstet, & obsi-  
dione quasi liberatus agrestium labor; omnino ad  
roborandum corpus confert, certare cursu cum fu-  
gacibus feris, cum validis robore, cum latentibus  
solerti inuestigatione, qui honestus labor in  
**CHRISTIANO** nostro in causis si non prima,  
tamen haud postrema fuit illius semper viuacis at-  
que vegetæ senectutis. Quod vero nihil in hu-  
manis perpetuo firmum atque stabile est, & quid-  
quid ortum habet, tandem cadit & exspirat; per  
fata esse non potuit, quin aliquando accideret,  
quod horreo dicere, hoc est, quin optime meritis  
**PRINCEPS** a suis, a nobis omnibus ex morta-  
lium vita egrederetur, & cœlestem animam cœlo  
tandem, cui debebatur, Deo iubente, redderet.  
Triste fatum, lugubris exitus, si res nostras, qui re-  
lictus sumus, intuemur; non autem infelix excessus,  
si ipsum, qui obiit, respicimus, qui ad eum trans-  
gressus est, quem puer amauit, quem senex desi-  
dera-

deravit, quem votis, suspiriis moriturus expecta-  
vit. Venit enim ex mortalitate in vitam, ex mi-  
litia ad pacem, ex mundo ad CHRISTVM, in quo  
omnia habet, præ quo omnia terrena contemnit.  
Felix etiam NOSTER fuit longæua vita & re-  
rum humanarum satietate, qua Augusti Cæsaris  
ætatem exæquauit, aut, vt verius dicam, aliquan-  
tum exsuperauit. Nostro enim deni tantum di-  
es, Cæsari triginta quatuor relictæ erant, quo mi-  
nus sextum & septuagesimum annum vterque  
consummaret. Felix tandem etiam post multas  
alias prosperitates CHRISTIANVS noster PRI-  
MVS fuit, quod gloriam post se & laudatissimam  
memoriam reliquit, quam ita nos perpetuo cole-  
mus, vt in animis nostris nunquam moriatur  
CHRISTIANVS PRIMVS, quia, si  
quid reliquit perficiendum in posterum; perfici-  
et & consummabit, quod speramus, CHRI-  
STIANVS SECVNDVS: in quo mirum,  
quantum felicitatis etiam PATER consequutus  
fuerit. In Principe enim, qui ipse sibi successorem  
destinauit & ad rem gerendam instituit, singulare

D 3

feli-

felicitationis argumentum est, **BONVS SVCCES-**  
**SOR.** O felicem Parentem **CHRISTIANVM,**  
cui benignissimis fati **BONVS SVCCESOR**  
contigit, qui futuræ felicitatis spem haud dubitan-  
dam facit, bonitatis paternæ Ipse adhuc exemplum  
singulare & imitamentum. Hunc ergo, o Deus  
immortalis, Hunc dignissimum **SVCCESOREM**  
tibi commendamus, vt potenti numine tuo tuea-  
ris, conserues atque sustentet, imperio ipsius feli-  
citatem addas, felicitati perpetuitatem, quo tuis  
auspiciis, illius clementissimo ductu faciamus  
quisque quod officium est; sentiamus, quod pa-  
cificum atque salubre; speremus, quod tua nobis  
indulgebit misericordia. Serua Serenitatis Eius  
**CONIVGEM** excelsam, Dominam nostram  
clementissimam: conserua, solare serenissimam,  
nunc mœstissimam **VIDVAM MATREM,** vt  
orbitatem patienter ferat, in tua voluntate acqui-  
escat, & diuinitus semper impetret, quo animum  
habeat luce tua illuminatum, bonitate tua lenissi-  
me tranquillatum. Serua etiam beate Defuncti  
reliquos **FILIOS, FILIAM, GENERVM, NV-**  
**RVS,** singulos Principes serenissimos, nobis & no-  
stris



stris Musis clementissimos, vt tua benignitate re-  
pensatum sentiant, quod in P A R E N T E vel  
S O C E R O amissum lugent : robora Eos tuo  
spiritu & fortitudine, vt, quod tuum est, strenue  
perficiant, tuisque muneribus atque præmiis lo-  
cupletati nunquam deesse videant, de quo & sibi  
gratulentur, & Tibi, Deus, gratias agant. Ado-  
lescant cari N E P O T E S, Soboles vtriusque  
sexus illustrissima, & spem, quam faciunt, non  
impleant modo, sed aliquando etiam superent,  
vt nunquam inter homines desint, qui referant  
**CHRISTIANVM PRIMVM;**  
quem diutissime referat, vt omnium vota & pre-  
ces sunt, hic serenissimus **CHRISTIANVS**  
**SECUNDVS.**




Xa 3152 6M

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS STEGMANIANIS

MDCCXCIV.

SECTIDVS



H. C.



Pou Xa 3152 QK

ULB Halle

004 526 007

3





N. 62, 49

GRATAE M  
**MONIME**  
 IN AVLA SA  
 MERSBVR  
 TAM BEATIS M  
 PRINCIPIS OPTIMI ME  
**CHRISTI**  
 DVCIS SAX. ET CET  
 ET ADMINIST  
 MERSBVR  
*LAVDATIONE*  
 QVAM  
 SERENISS. FILIO S  
**CHRISTI**  
 DVCI ITIDEM  
 GENTIS ET ALIAR  
 ADMINISTR. EPISCO  
 ETC.  
*EPISTOLA EVC*  
 DEVOTE POS  
 A  
**CHRISTOPHORO**  
 ELOQ. ET HIST. IN A

a  
3152

